

R. Quoad *primum*. N. A. Est enim manifeste falsum, græcam linguam aut Hebræis sive Palestinæ incolis sive per regiones alias dispersis, aut Romanis aliisque extra Græciam nationibus fuisse vulgarem. Quoad *secundum*. D. Scripta sunt ad omnes promiscue fideles, etiam legenda a singulis. N. legenda a litteratis et peritis, audienda ab illitteratis ac imperitis, T. Exemplarium solitudo aut saltem raritas prius faciebat impossibile, posterius difficile; inscriptio autem universalis neutrum exigebat. Quoad *tertium*. N. Cons. Nihil enim præter publicam epistolæ prælectionem hic imperatur diversum ab eo quod nunc vel intra vel post missam ex Tridentini Sess. 24. c. 4. præscripto circa lectionem explicationemque Evangelii et Epistolæ fieri solet: quod sane non est legi a singulis et manibus teneri Scripturam.

Inst. 2. Scriptura tum utilis est omnibus, tum ejus lectio omnibus commendatur, 1^{um} patet ex ep. ad Rom. 15. v. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem spem habeamus*, et 2. ad Tim. 3. v. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia*: 2^{um} ex Psal. 118. v. 2. *Beati, qui scrutantur testimonia ejus*; et 2. Pet. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacilis attendentes*: ergo et omnibus est concedenda.

R. D. 1^{am}. p. Scriptura aut considerata per se, aut spectata cum debitis legentium dispositionibus est utilis, C. considerata relative et cum ordinaria legentium conditione, N. Quin ad capiendam hanc utilitatem non requiritur determinate lectio; et aptior est cum adjuncta explicatione auditio. 2^{am} p. N. quam textus allati minime probant. Nam *scrutatio* in priori non significat scientiam speculativam, sed practicam, ut contextus loquitur; et indicat lingua Hebræa, Chaldaica et Syriaca, quæ habet, *Beati qui custodiunt*: neque *attentio* in posteriori significat lectionem, sed potius auditionem, quæ dictioni sermonis prophetici et vocis de caelo lapsæ correspondet.

Inst. 3. PATRES declararunt omnibus suæ ætatis fidelibus licitam fuisse lectionem Scripturæ: ergo et ea nunc illis passim concedenda. Prob. Ant. Docent 1^o tum ipsam Scripturæ doctrinam convenire, tum illius modum docendi accomodatam esse omnibus: alterum patet ex Clem. Alex. L. 3. Pædag. c. 8. Ambr. in Ps. 48. v. 2. et Basil. in præem. ad Psalmos: alterum ex verbis Origen. L. 7. cont. Cels. *Scriptura providens non solis eruditibus, sed etiam reliquis, descendit ad idioticum captum multitudinis*; quibus consonant Aug. L. 6. Conf. C. 5. et ep. 3. ad Volusian. ac Greg. M. in præf. ad L. 20. Moral.

2^o Monent et adhortantur omnes ad legendas Scripturas, maxime Aug. L. de vera relig. c. 51. et L. 7. Conf. c. 20. Chrys. Hom. 2. in Matth. H. 10. in Joan. H. 9. in c. 3. ad Coloss., etc.; Greg. M. hom. 13. in Ezech. et L. 4. ep. 40.

3^o Declarant lectionem Scripturæ esse originem omnis virtutis, ejus negligentiam vero causam malorum; sic enim in Psal. 118. Ambrosius: *Nunquam negligamus verbum Domini, ex quo omnium origo virtutum est, universorumque operum processus*; Chrysost. autem hom. 9. in ep. ad Coloss. *Hoc est omnium malorum causa, nescire Scripturas*: idem habet in præem. ep. ad Rom., et Cæsarius Arel. Serm. 40.

4^o Declarant lectionem Scripturæ esse necessariam ad salutem, En verba

Basilii in reg. brev. q. 95. *Quæ ad usum pertinentia sunt, ea ut unusquisque ex divinis litteris ediscat, et rectum est et necessarium*: Chrys. hom. de Lazaro hæc sunt: *Non potest fieri ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali, etc.*

5^o Extendunt pleraque etiam ad feminas, tum eas ob lectionem Scripturæ laudando, ut Hier. ep. 16. 27. 30. Marcellam, Paulam et Fabiolam, ac Greg. Naz. Or. 11. suam sororem laudarunt; tum easdem ad lectionem adhortando, ut Basil. ep. 285. Eleutheram, Paulinus ep. 50. Celantiam, Hier. ep. 7. 8. et 155. Lætiam, Demetriadem et Paulam excitarunt; tum iisdem quotidianum pensum sive legendæ Scripturæ præscribendo, ut Hier. ep. 12. pro educanda Pacatula. Ambr. in exhort. ad virg. pro virginibus, et Conc. Aquisgranense L. 2. c. 3. et 22. pro Monialibus præscripserunt. Ergo,

R. 1. ad Arg. T. A. N. Cons. Ætate PATRUM præter latinam vix ulla erat versio vulgaris; nec erat frequentia exemplarium, nec copia eorundem apud plebem et laicos; ut ex historia de sacrorum librorum Traditoribus constat: adeoque dicta Patrum, quantumvis generalia, ad omnes pertinere haud poterant, ut modo exigitur ab adversariis. Præterea dispositio fidelium primis temporibus reipsa erat melior, major scilicet docilitas, Sacerdotii reverentia, et erga Præpositos submissio; aut saltem a Patribus supponi poterat; cum legentes Scripturam loca difficiliora cum simplicitate præterirerent, ut AUGUSTINUS adhuc Catechumenus fecit; vel sub directione egregii doctoris lectionem instituerent, ut HIERONYMUS de feminis a se laudatis commemorat; vel imprimendum memoriæ et exequendum opere, quod in expositionibus Ecclesiasticis auditum fuerat, id monente PAULO facerent fideles viri, pro uxoribus et familia instruendis: dum e contra in iis, qui nostra ætate Scripturam sibi eripi non patiuntur, notatur frequentissime inutilis curiositas, temeritas, et pruritus sciendi omnia, maxime obscura et altiora potius, quam necessaria et utilia; sæpius audacia, superbia et impudentia, qua antiquorum Patrum expositiones contemnuntur, et novitatem vendentibus creditur; non raro philautia, spiritus privati studium, et pertinacia qua docentis Ecclesiæ manductio, definitio et auctoritas violatur.

Demum prioribus seculis necdum tanta experientia comperti habebantur tot abusus ex lectione orti, tot hæreses per eam latissime sparsæ, tot circumventæ cum viris rudibus feminæ, tot denique versiones infidæ in linguas vernaculas a sacris fontibus discrepantes, atque a novatoribus ad suas hæreses disseminandas excogitatæ: quæ mutatio circumstantiarum mutationem disciplinæ, ipsis etiam Patribus probantibus, si viverent, introduceret.

R. 2. N. A. ad prob. 1. D. PATRES docent Scripturæ doctrinam convenire, et stilum accommodari omnibus, sumendo omnes pro singulis generum, N. pro generibus singulorum, C. Volebant iidem unice, non esse hominum conditionem, cui dogmata quædam convenientia, nec ingenium, cujus captui accommodatam scripturæ alicubi non suppeditet Scriptura; minime vero contendebant, quod quælibet convenient singularis, aut omnis phrasim accommodetur cujuslibet perceptioni; cum iisdem in locis fateantur abscondita mysteria et obscuritatem sermonis, ac præterea sufficere dicant, auditu verbum Dei hauriri.

Ad prob. 2. D. Ad legendas Scripturas monent omnes in sensu accomposito, capaces scilicet et dispositos, C. omnes in sensu absoluto, Subd. præferendo

lectionem Scripturæ lectioni profanæ aut perniciosæ; C. urgendo eam universim et absque comparatione, N. *Omissis*, inquit Aug. loc. citato, *et repudiatis nugis theatralibus et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione pascamus animum*; quibus similia Chrys. loc. secundo et Greg. loc. ult. laudatis enuntiant. Præterea contextus aperte ostendit, reprehendi potius neglectum Scripturæ et contemptum illa ætate a capacibus usurpatum, quam urgeri lectionem promiscuam.

Ad prob. 3. R. 1. N. Ass. Neuter enim textus de lectione Scripturæ agit; et utriusque veritas salvatur per scientiam aut ignorantiam doctrinæ sacræ, quacumque ratione perceptæ. *R. 2. D.* Lectio Scripturæ vel ejus neglectus dicuntur a Patribus causa virtutum aut vitiorum omnium per figuram exaggerationis et sensu oratorio, C. per rigorem proprietatis et sensu philosophico, N. Similes virtutum aut vitiorum ad alias radices reductiones, rhetoribus nec minus familiares, nec magis certas, alibi reperire licet.

Ad prob. 4. D. PATRES declarant Scripturæ lectionem esse necessariam, necessitate utilitatis, C. necessitate absoluta N. vel *Subd.* loquendo secundum hyperbolen, C. secundum proprietatem, N. exemplum simile præbet CHRYS. hom. 15. in Genes. ubi inquit: *Neque in re justa neque injusta jurare licet*; et hom. 17. in Matth. *Quid igitur, si aliquis juramentum exigat, et necessitatem jurationis imponat? Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior*; quæ locutio, juramentum nullo in casu permittens, ut vera sit, re significare debet minus quam verba expriment.

Ad prob. 5. D. Extendunt pleraque ad feminas quascumque ac sine discrimine, N. ad feminas capaces et dispositas, *Subd.* ex œconomia tum temporis adhuc utili et prospera, C. ex necessitate aut præcepto mutationis impatiēte, N. Laudatæ a Patribus feminæ erant ingenio ac genere nobilissimæ, eruditæ linguis, meditationibus assuetæ; præterea humilitatis studiosæ, promptæque captivare intellectum in obsequium fidei, et sequi directionem magistrorum; quod ipsi Patres inter laudes earum commemorant: reliquæ saltem virgines erant separatæ a mundo, dicatæ Deo, et virtutum studio exercitatæ; neque triste adhuc fidei fluxæ, superbiæ ac contumaciæ experimentum dederant. Quid simili apud nos viso exemplo ordinaturi fuissent Patres, suspicari licet ex HIERONYMO. L. 1. cont. Pelag. scribente: *Verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam feminas habere debere; cum Apostolus doceat esse tacendum mulieribus in Ecclesia, et si quid ignorant, domi viros suos debere consulere.*

Inst. 4. Rationes adductæ superius, cur lex circa Scripturæ lectionem juste ferri potuerit, aut nihil, aut nimium probant: ergo lex ipsa irrationabilis et injusta est. *Prob. Ant.* Nam 1. Lectio Scripturæ sacræ in vulgari lingua æque utilis est ac in latina: 2. etiam ex obscuritate et littera occidente periculum errandi est doctis et linguarum peritis; quin tamen prohibeatur illis lectio in lingua sacra: 3. fit abusus in Eucharistia, vino et aliis pluribus, non minus quam in lectione Scripturæ; propterea tamen illa non prohibentur: 4. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia natæ sunt hæreses: ergo.

R. ad Arg. N. A. Ad hujus prob. 1. N. Ex parte libri versio quæcumque

vulgaris non ita fidelis nec certe authentica est, ac latina: ex parte legentium autem, linguæ latinæ periti communiter doctiores sunt, facileque possunt recurrere ad interpretes probatos.

Ad prob. 2. R. Argumentum est simile huic: Etiam videntibus periculum est ne in foveam cadant; ergo si illorum causa non obstruitur fovea, etiam pro cæcis non est claudenda. Cæterum minori doctorum periculo provisum est a lege naturali; majori autem rudium discrimini providere amplius curavit accedens lex Ecclesiastica.

Ad prob. 3. R. 1. N. Supp. quod lectio Scripturæ prohibeatur absolute; cum Ecclesia certas tantum condiciones pro lectoribus exigat, et iudicium de his sibi reservet. 2. Etiam simile quid Ecclesia circa Eucharistiam agit, quæ ob dispositionis defectum in fidelibus nostræ ætatis non probat tam frequentem Eucharistiæ usum, ut in primitiva Ecclesia. 3. *Disparitas* est quod de sumenda Eucharistia habeatur præceptum Domini, et generalior sit vini convenientia; neutrum autem reperitur circa Scripturæ lectionem.

Ad prob. 4. T. A. N. Cons. Quamvis feminæ, ut sunt ingenii tenuioris, non passim primæ excogitent hæresin, eam tamen conceptam retinent pertinacius, studiosius adjuvant, et latius propagant: cujus rei exempla refert Hier. in ep. ad Ctesiph., Sever. Sulpit. L. 2. hist. Sac., Epiphan. hæ. 26.; atque præter Thiotam Constantiæ an. 847., mulieres Manichæas Aureliæ, et Atrebatum an. 1022. et 25. Tanchelini Socias Antverpiæ an. 1123. præsertim nupero et præsentī seculo moniales Portus Regii et aliæ in Gallia noxium experimentum præbuerunt.

Inst. 5. Lex maxime ob circumstantias extrinsecas prohibens rem per se bonam et utilem, cessat intrinsece et obligare desinit, si rationes legis, et consequenter finis cessat et negative seu contradictorie, et contrarie: sed regula 4^a Indicis est lex ejusmodi, ut omnes concedunt: et ejus finis cessat imprimis *negative*, qui erat damnum non simpliciter aliquod et dubium, sed auctum et certum, ortum partim ex lectionibus hæreticis sine discrimine cum catholicis lectis, partim ex temerario animo ac præsumptione spiritu privato intelligendi legentium, ut ratio decreti loquitur: « cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri: » quia *quoad effectum*, hæresin scilicet vel errorem, nullum jam damnum inter catholicos ex lectione Scripturæ experimur; *quoad originem* autem inter eosdem nec versio hæretica usurpatur, nec ullus est, qui in Scriptura intelligenda audire Ecclesiam ejusque traditionem nolit.

Deinde etiam *contrarie* cessat; quia observatio hujus regulæ noxia est, cum fideles priventur bonis omnibus, et exponantur malis, ob quæ consequenda vel vitanda Patres sollicitè adeo adhortati sunt fideles ad Scripturæ lectionem. Ergo.

R. N. min. Non enim imprimis finis legis illius cessat *negative*; partim quia *τὸ sine discrimine* non appellat tam Biblia, et sic versionem hæreticam, quam legentes et lectionem; et temeritas non adeo fundatur in intelligentia secundum spiritum privatum, quam in incapacitate et defectu dispositionis: partim quia duplex hæc origo damni non est adæquata ratio legis, quam Ecclesia illis duobus necdum natis jam præformaverat, et sublatis confirmavit, ut supra ostendimus: partim quia non cessat adæquate generaliter

et constanter, cum damnium adhuc aperte sentiatur in Gallia, idque ex gemina radice ab adversariis assignata, et facile intelligi possit alibi ex dubiis et turbationibus legentium.

Deinde non cessat *contrarie*, cum alia detur ratio illa bona capiendi et avertendi mala, nempe auditio verbi divini explicati et lectio librorum spiritualium; de qua Petrus Soto in defens. Cath. Conf. c. 23. ita disserit: « Quod si quis causetur, non esse æquum, omni lectione Scripturæ privare populum: huic respondemus, non hoc nos agere ut nihil legant, nihil habeant simplices Scripturæ sacræ: integram quidem illam cibum dicimus solidiorem quam captui populi conveniat: sed sunt in ea quam plurima, quæ sufficiant ad pietatem et scientiam christianam et servandam et augendam in fidelium animis. Hæc doctorum diligentia excerpta saluberrime credimus omnibus tradi posse. Imitemur antiquorum Patrum exempla: AUGUSTINUS ex omnibus Scripturæ sacræ libris, quæ ad mores pertinent, in unum librum collegit, quem Speculum appellari voluit, ut Possidius testis est in vita ejus, et liber ipse ostendit, in quo vix ullus liber Scripturæ omissus est, unde non aliquid sit excerptum. BASILIUS etiam simile ferme argumentum habet in octoginta moralibus regulis, in quarum singulis per multa capita, quæ ad mores pertinent, ex novo duntaxat Testamento magna certe dexteritate collegit. CYPRIANUS etiam tribus illis libris ad Quirinum hoc ipsum agit, ut ex Scriptura capita quædam ad formandam fidem in primis duobus, ad disciplinam christianam docendam in tertio ex Scriptura colligens. »

34. *Observa.* BENEDICTUS XIV. P. M. cætera inter capita, quibus suum de Synodo Diocesana opus an. 1755. altera editione auctum amplificavit, examinate hæcenus quæstionis argumentum Lib. 6. cap. 40. etiam inseruit, et erudita pro more expositione veritatem et sententiam nostram confirmavit. Quoad statutum autem circa hanc materiam a conventu diocesano, ita sub finem præscripsit: *Itaque ut rem conficiamus, ubi nullus quoad vernaculam sacrarum Scripturarum lectionem abusus irrepsit, aut sileant Episcopi, aut solum quartæ Indicis regule urgeant complementum: ubi vero abusus semel innouit, etiam synodali decreto radicitus evellatur.*

QUÆRES: Quinam sit usus Theologicus sacræ Scripturæ?

35. *Nota.* Multiplicem Scripturæ sacræ usum ostendit ipsa Scriptura tum ad Rom. 15. v. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus:* tum 2 ad Tim. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia:* nos ad Theologicum duntaxat usum hic attendimus, qui in legitima argumentatione ad probandam in fidei materia veritatem et oppositam falsitatem refutandam consistit. Usus itaque hic dependet tum a regulis, quas pro lectione et interpretatione Scripturæ (num. 46.) dedimus, tum ab argumentationis sacræ canonibus, quos proxime subjiciemus.

36. *Respondeo.* Canones argumentationis sacræ, seu usum Theologicum

Scripturæ sacræ declarantes, duplicis classis sunt, et alii Scripturam ipsam, alii sensum Scripturæ afficiunt.

Prioris Classis Canon I. Argumentum ex sacræ Scripturæ verbis depromptum est decisivum et irrefragabile; quia Scriptura est infallibile verbum Dei infallibilis.

II. Ut argumentatio sit efficax, depromendum est argumentum ex solis Scripturæ libris, quos Ecclesia Catholica pro Canonicis indubitato admittit; quia sine Ecclesiæ judicio certi non sumus, quænam sint Scripturæ divinitus inspiratæ: Argumentum e contra ex libris Scripturæ apocryphis, v. g. ex tertio vel quarto Esdræ desumptum, incertum; ex supposititiis, v. g. ex epistola Pauli ad Laodicenses, nullum est; cum hos Ecclesia positive reproba-verit, illis certitudinem non tribuerit: quamvis divinæ originis nonnulla iudicia et a Patribus quibusdam testimonia postremis suffragantur.

III. Ad eundem effectum requiritur, ut argumentum ex editione vulgata depromatur; quia hæc una habet authenticam judicalem et explicitam: moderni autem fontes, græci et hebræi, vulgarem tantum et implicitam; vernaculæ editiones vel nullam vel dubiam.

IV. Valet tamen argumentum ad hominem contra Novatores, sive ex fontibus, sive ex eorum versionibus; quia ad illos ipsi identidem provocant, has vero tanquam sinceræ venerantur.

V. Textus Scripturæ, ex quo arguitur, probandum contineat clare, aut liquido cum eodem connectatur oportet.

VI. Ubi textus Scripturæ ejusve sensus obscurus est, si adsit Ecclesiæ expositio vel unanimis Patrum interpretatio, conformiter ad alterutram assumptus, firmum et efficax facit argumentum: si illa desit, aut hæc variet, probabile solum argumentum præbet; ut partim ex dictis partim ex dicendis constat.

Posterioris Classis Canon I. Eadem Scriptura potest habere plures sensus *litterales* sub verbis iisdem, acceptis tam proprie quam improprie seu figurate. Docent id Hieron. ep. 103. ad Paulin., Augustin. L. 4. de Genes. ad lit. c. 19. L. 3. de Doctr. Christ. c. 27. L. 12. Conf. c. 26. et 31. ac D. Thom. de Potent. q. 4. a. 1. et p. 1. q. 1. a. 10. Probat ratio deducta ex dignitate, excellentia et majestate, quam Scripturæ multiplex ille sensus conciliat: confirmant exempla tum Psalmorum et Prophetiarum, tum singularium sententiarum, partim a Scriptura ipsa, partim a Patribus in diverso sensu acceptarum; quales sunt Genes. 1. v. 4., Exod. 12. v. 46., Psalm. 2. v. 7., Psalm. 8. v. 3., Dan. 9. v. 27., Isa. 53. v. 8., etc.

II. Etiam in Nov. Testam. præter litteralem invenitur sensus *mysticus*. Id rursus docet D. Thomas p. 1. sup. cit. et Quodl. 7. a. 15 ad 3^{um}: probat eadem ratio, et confirmant exempla tum Apocalypseos, tum variorum textuum apud Patres ac Interpretes passim occurrentium.

III. Textus acceptus in sensu *litterali* efficaciter et certo probat veritatem in se clare contentam, vel secum liquido connexam; quia hic sensus, sicut in simili casu ab homine, sic etiam hic a Spiritu sancto intelligitur intentus.

IV. Ut ex sensu *mystico* formetur argumentum efficax, debet vel ex alio Scripturæ textu, vel ex Ecclesiæ definitione aut traditione, vel ex consensu Patrum constare, sensum illum a Spiritu sancto esse intentum; quia sensus

hic, cum mediate tantum significetur, ob res immediate significatas varius, anceps et obscurus est, nec cuivis obvis, nec connexionem necessariam habet cum loquentis intentione; unde siue accessione unius ex memoratis incertum relinquatur, an a Spiritu sancto fuerit intentus; quæ tamen incertitudo tollitur illarum conditionum ope.

V. Sensus *accommodatitius* Theologo ad veritates fidei probandas aut defendendas non præbet argumentum certum et efficax; quia non est intentus a Spiritu sancto, sed pro arbitrio, quantumvis pio et rationabili, ad res et personas, de quibus Scriptura haud loquitur, accommodatus: utilitatem tamen ad illustrandam vel moralem vel aliam doctrinam habet eo majorem, quo major est auctoritas accommodantis, scilicet aut Ecclesiæ, aut Interpretis.

57. *Observe.* Pro utraque classe attendendum est, an Scripturæ locus ad probandum assumptus, sit dictum Scriptoris sacri proprium, an vero alienum, et a Scriptoris sacro duntaxat relatum. In priore casu Scripturæ locus auctoritatem divinam habet, facitque argumentum efficax; quia res et sententias hujusmodi Scriptoribus sacris specialiter esse inspiratas (num. 20.) est ostensum: in casu posteriore distinguere oportet inter dictionem ipsam et dictum seu dicti veritatem. Quod enim reipsa sit dictum, quod ut tale refert Scriptor sacer, eadem auctoritate certum est ex data proxime ratione: an vero dictum hoc a Scriptoris sacro relatum etiam sit verum, si ex ipsa rei natura non constat, desumi debet ex auctoritate loquentis, quæ pro varietate personæ varia est. Sic dum affertur Dei ipsius oraculum, aut Prophetæ vaticinium, aut angeli vel hominis divinitus inspirati effatum, auctoritas divina habetur et veritas certa est: dum autem refertur alterius personæ sibi relicte assertio, v. g. Judæorum Joan. 2. v. 20. *Quadragesima sex annis edificatum est templum hoc*, vel illa cæci nati Joan. c. 9. v. 31. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, aut illa insipientis Psal. 52. v. 2. *Non est Deus, aut illa Satan. Job. 2. v. 5. Tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi etc.*; auctoritas tantum est humana et veritas fallibilis aut etiam nulla.

CAPUT II.

DE TRADITIONIBUS SACRIS.

Controversia, quæ Catholicos inter et A catholicos de TRADITIONIBUS olim suscitata, et seculis superioribus renovata fuit, duas questiones complectitur, alteram quasi *juris* et conditionatam, qua de Traditionis notione, divisione et auctoritate inquiritur; alteram velut *facti* et absolutam, qua de ejusdem necessitate, existentia et certitudine sive ad cognitionem sive ad usum disputatur: utramque uno hoc capite resolvemus.

ARTICULUS I.

Quænam sit notio, divisio et auctoritas Traditionis sacræ?

58. *Nota.* De TRADITIONIS notione et divisione non tam controversia est quam varia acceptio et multiplex respectus; de auctoritate autem fuit heterodoxorum sive in diversis locis contradictio, sive error proprius, quo Lutherus apud Pet. Suavem L. 2. dixerat, *Sacrilegium esse, traditiones non scriptas paræ auctoritatis credere cum Scripturis novi veterisque Testamenti*; et Kemnitius apud Bellarm. L. 4. c. 3. scripsit, *insignem esse audaciam, majestati et auctoritati Scripturæ aliquid æquare*. Fuerunt etiam, teste Pallavicino Hist. Trid. L. 6. c. 14. nonnulli ex Tridentinis Patribus, qui visi sunt versari in ea dubitatione, num Deus voluerit tantam impertiri traditionibus firmitatem ac venerationem, quantam sacris Litteris. Ad ambiguitates illas et has dissensiones tollendas.

59. *Dico I.* Traditionis notio pro ampliori vel strictiori acceptio varia est.

Latissime sumpta traditio est notitia, sive doctrina sive institutio qualiscumque quocumque modo cum altero communicata: hoc sensu sumpsit traditionis nomen Apostolus 2. ad Thess. 2. v. 14. *Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*; et Philosophus L. 3. Polit. c. 11. *Civitates partim optimis legibus, partim arbitrariis longa serie communicatis reguntur*.

Late sumpta rursus est notitia qualiscumque ore tenus primum aliis communicata: hoc sensu traditionem accepit Tertull. L. de Coron. c. 4. *Harum disciplinarum si legem expositules scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix*. Utroque significato hactenus exposito continetur traditio tum sacra tum profana, tam vera quam falsa, sive pia sive impia seu pharisaica, et germana et popularis etc.

Stricte et Theologicè sumpta est notitia sacra, h. e. ad religionem pertinet, ore tenus primum aliis communicata, h. e. non contenta saltem expressis verbis in sacra Scriptura, sed viva voce primitus ab auctore suo proposita, ac deinceps quasi de aure in aurem ad posteros successive perducta; sive postmodum aut in Conciliorum actis, aut in Patrum scriptis, aut in Historicorum libris fuerit authentice consignata, sive non. Atque hoc sensu traditio a nobis in præsens accipitur.

60. *Dico II.* Divisio traditionis est multiplex, habito scilicet respectu ad principium, ad doctrinam, ad materiam, ad subjectum, ad tempus, ad obligationem. Et quidem

Respectu *Principii* universim vel est divina vel humana, prout nempe traditionis primus et immediatus auctor est vel Deus vel homo viva voce locutus. Quoniam vero hæc acceptio vel descriptio, contra usum communem in Tridentinæ Professionis formula etiam usurpatum, Apostolicas traditiones omnes rejicit ad humanas, neque inter enuntiata Apostolica discrimen illud facit, quod tamen Paulus ipse 1. ad Cor. 7. v. 10. et 12. manifestat: hinc traditionem dicimus *divinam*, quæ divinitus est revelata, sive a divino sive ab